



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim  
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici  
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1622**

Sect. 3. In qua neceßitate teneatur homo eleemosynam facere ex omnino  
superfluis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

SECTIO III.

In qua necessitate teneatur homo eleemosynam facere ex bonis omnino superfluis.

**Sententia. 1.** Prima sententia tantum obligat sub mortalitate ita Alenf. 4. parte, quæst. 34. Gerfon. parte 2. Alphab. 32. lit. O. Panor. in cap. Si verò, de iureiurando. Turrescrem. in cap. Sicut hi, dist. 47. Gabr. in 4. dist. 16. quæst. 1. concl. 3. Ioan. Medin. tract. de eleemosyna q. 3. & alij. Ratio est, quia quando non est extrema necessitas, non est simpliciter necessitas, sed præceptum affirmans obligat tantum in necessitate simpliciter: ergo. Confirmatur primo, quia non teneatur homo magis subuenire alteri, quam sibi, sed ex præcepto non teneatur subuenire sibi nisi in extrema necessitate, ita ut licet permittat se pati gravem necessitatem, ut thesaurizet hæc bona superflua, non peccat mortaliter: ergo, &c. Secundo, quia aliqui damoanda esset maior diuitum multitudo, qui id eo fere augment diuitias, quia de superfluis vix in extrema, ne dum minori necessitate largiuntur.

**Sententia. 2.** Secunda sententia est teneri sub mortali ad danda hæc omnia bona superflua cõmunibus pauperibus, vel saltem ad faciendam eleemosynam ex illis, ita D. Thomas 2. 2. quæst. 66. artic. 7. & in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. quæst. 4. Palud. q. 3. Richard. art. 2. quæst. 2. Abulen. in cap. 6. Matth. q. 34. Lyrant. & Carthus. super illud 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi. Caietan. 2. 2. quæst. 32. art. 5. & in O. pulc. de præcepto eleemosynæ num. 2. & alij. Fundamenta huius sententiæ primo funtuntur ex Scriptura, quæ absolute præcipit diuitibus eleemosynas facere his pauperibus, qui non desunt in Republica, qui non sunt, nisi qui communes necessitates patiuntur. Vnde Deut. 15. Ecclesiast. 4. 1. Ioan. 3. & Iacob. 5. dicitur, absolute diuites congregantes, & non distribuentes thesaurizare sibi iram, & 2. ad Corinth. 8. In presentis tempore vestra abundantia illorum, id est, egentium inopiam suppleat, 1. Timot. vlt. Præcipe diuitibus facile tribuere, &c. Præterea Patres hæc in re loquuntur rigorosissime nominationem Basil. hom. in illud Luc. 12. Distrum horrea, &c. Nissen. orat. de pauperibus amandis, Naz. anz. orat. eiusd. argum. Ambros. serm. 81. Hieron. in regula Monach. August. in Psalm. 147. & serm. 219. Chrysostom. hom. 34. ad Populum. Summa eorum est, diuites esse dispensatores constitutos à Deo bonorum eorum, quæ sibi sunt superflua, & esse raptores, & latrones, si non distribuunt, &c. Nec faciunt mentionem alterius necessitatis, nisi eius, quæ communiter occurrit. Ratio denique est, quia hæc bona temporalia, si superflua sunt, iure naturæ sunt indigentium: ergo non possunt sine peccato retineri, si aliqui indigeant. Antecedens explicatur, & probatur ex D. Thoma 2. 2. q. 66. artic. 7. quia hæc bona ex Dei institutione sunt communia: iure autem gentium sunt diuisa, quæ diuisio non potest esse iusta, & rationi consona, nisi hæc lege facta intelligatur, ut quæ proprijs dominis fuerunt superflua, alijs efficiantur communia: nam oppositum esset contra finem ipsarum rerum, & hoc indicant Patres, cum vocant diuites dispensatores.

**Sententia. 3.** Tertia sententia est, obligari homines ad dandum ex his bonis etiã in graui necessitate proximi, non autem in communi: ita Alenf. sibi contrarius in 3. p. q. 65. ut refert Medina codice de eleemosyna q. 3. Antonin. 2. p. tit. 1. cap. 24. §. Pro maiori. Armilla verbo eleemosyna citans alios, Nauar. in manuali cap. 44. n. 5. Adrian. quodlib. 1. art. 2. lit. G. & quodlib. 12. art. 2. propof. 2. ubi citat Palud. in 4. dist. 15. Sotus de iustitia lib. 5. q. 8. artic. 1. Ratio est, quia diuites sunt veri domini etiã superfluum in quacunq. quantitate, supponimus enim iusto titulo ea bona possi-

dere, nec agimus de bonis clericorum spirituali aliquo titulo comparatis, de quibus controuersia est. An sint eorum bonorum domini (ut in materia de beneficijs tractatur) hinc fit, diuites per se nullã facere iniuriam retinendo hæc superflua, vel in vanos vsus prodigendo, nimirum, quia sunt domini. Ex quo obiter intelligitur primò, in illis Sanctorum dictis aliquam esse exaggerationem, atq. a deo intelligenda esse secundum quandam similitudinem, quatenus tales domini possunt peccare mortaliter occasionem bonorum temporalium, sicut raptores, & fures, & interdum grauius. Vnde secundò intelligitur, seclusa indigentia proximorum, nullam esse obligationem conferendi alijs hæc bona. Atque ita tandem fieri obligationem totam oriri ex necessitate aliorum. Vnde iam sic concluditur, tota obligatio dandi oritur ex necessitate proximi: ergo talis erit obligatio, qualis necessitas: ergo si semper necessitas occurrens est leuis, obligatio semper est leuis, atq. a deo nunquam sub mortali. Et è contrario sola necessitas grauis inducet obligationem sub mortali. Confirmatur primò, quia alijs omisso eleemosynæ etiã in singulis leuibus necessitatibus esset peccatum mortale, quod est incredibile, sequela patet, quia vel quælibet, vel nulla est. Secundò, quia alias omnis prodigalitas esset peccatum mortale. Tertiò, quia non liceret diuitibus, ad altiorum gradum ascendere conferuando diuitias, imò, neg. & discere sumptuose.

**4.** Dico tamen primo simpliciter loquendo diuites habentes superflua obligantur aliquo modo ex præcepto misericordiz ad faciendam eleemosynã. Hæc conclusio abstrahendo ab obligatione sub mortali, vel veniali videtur omnino certa, & sufficienter conuincitur fundamētis 2. sententiæ, & ex alijs, quæ statim dicemus. Colligi tamen potest ex superius iam dictis hanc se obligationem genere suo esse sub mortali, ostendimus enim charitatem, & misericordiam ex genere suo ita obligare: in particulari vero consideranda erit grauitas materiæ ad discernendum, qualis sit necessitas.

**5.** Dico secundo. Non solum in extrema, sed etiã in graui necessitate obligat præceptum hoc sub mortali, eum qui habet superflua. Hæc conclusio primo probatur fundamētis 2. sententiæ. Deinde quia obligatio hæc in Scriptura sacra talis significatur, ut frequenter occurrat, signum est ergo non agi tantum de extrema, sed etiã, ut minimum, de graui. Antecedens patet Matt. 25. Vbi propter peccatum contrarium huic obligationi damnantur homines, damnantur autem per peccata, quæ frequenter committuntur. Vnde ibi non numerantur necessitates extremæ, sed graues, & Matt. 18. damnatur seruus, quia non est misertus conserui sui in graui necessitate: vnde sumitur argumentum: nam si vrgere debitorem mortale fuit, etiã ei, qui videbatur esse in necessitate, quanto magis habet superflua graue erit non subuenire grauius indigenti? Secundo hæc obligatio fundatur in proximi necessitate, ergo si necessitas est grauis, oritur grauis obligatio. Tertiò, quia si quis videat domum proximi comburi, aut famam grauius lædi, possitq. impedire, & non faciat, ex communi consensu est peccatum mortale: ergo mortale erit si videat graue aliquid pari in vita, aut salute corporis ob indigentia, nec succurrat.

**8.** Vltimo ostenditur conclusio respondendo ad argumenta contrariæ sententiæ in n. 1. negatur enim grauem necessitatem moraliter, & humano modo loquendo, non esse simpliciter necessitatem: deinde quicquid sit de modo loquendi, materia absque dubio est grauis, & præceptum alijs ex genere suo obligat ad mortale: falso igitur concluditur, obligare tantum in necessitate extrema. Ad primam confirmationem negatur primo similitudo, homo enim potest sedere iuri suo, & non proximi.

Confirmatio prima.

1. Conclusio.

Nota.

2. Conclusio.

Probatur 6.

2.

3.

Probatur vltimo eadem conclusio, argumenta contrariæ sententiæ diluendo.

ximi. Secundo in his, quorum homo est dominus, ut in fama, & fortuna, potest interdum sine mortali permittere se grauius lædi, non vero in ijs, quorum non est dominus, ut in vita, & membris, quando facile potest læsionem vitare. Ex quo retorquetur argumentum; nam tenetur homo succurrere sibi in graui necessitate, saltem respectu bonorum, quorum non est dominus, sed nullorum bonorum proximi, ego sum dominus; ergo teneor illi subuenire, si eodem modo possum, quia teneor illum sicut me diligere. Ad secundam confirmationem. Dico primo: si verum est quod in ea sumitur; nos non condemnare diuites illos, sed ostendere, quomodo ipsi se cōdemnent. Nam propterea fortasse dictum est, *difficilis diuitem ingredi in regnum celorum quam camelum per foramen acus*. Secundo dico non esse tam frequens hoc peccatum sicut arguendo indicatur. Ex his vero colligo primam opinionem practice esse omnino improbabilem, nec securam in conscientia, quia contraria fere euidenter demonstratur ex Scriptura, Patribus, & ratione. Et ipsa nullum habet fundamentum, Authoresq; eius vix audent eam affirmare.

3. Conclusio explicatur.

7. Dico tertio. Qui simpliciter habet superfluum, tenetur sub mortali facere eleemosynam etiam in communibus necessitatibus generis humani, non dico teneor in singulis actibus, neq; teneor ad dandum omnia, sed absolute teneor, quod hac negatione bene explicatur; si habeat propositum formale, vel virtuale nunquam dandi eleemosynam nisi in grauib; necessitatibus, illud est peccatum mortale ex se, nisi fortasse faciat id, quia certus est graues necessitates occurrere. Conclusio est communis, quæ, præter adducta pro secunda sententia in nu. 2. Confirmatur. Nam ex prima conclusione certum est, diuitem ita se habentem male agere cōtra misericordiam, & charitatem; sed materia talis inordinationis est grauis: ergo læsio misericordiz est in materia graui: ergo peccatum mortale. Minor ē probo, quia quauis necessitates proximorum videantur leues, tamen aggregatum omnium illarum comparatum ad genus humanum, vel ad republ. est valde grauis materia: ergo contemnere in genere humano totum illud aggregatum miseriz, est læsio charitatis, & misericordiz in materia graui: sicut velle furari cētum aureos à multis hominibus, ab vnoquoque assem, est peccatum mortale, quia licet respectu vniuscuiusq; sit materia leuis, totū tamen est graue.

Est communis, & iuadetur.

Quasi,

8. Dices multas materias leues comprehensas sub vno actu per modum vnius obiecti, si non vniuntur veluti per modum vnius ad componendam vnam quantitatem non sufficere ad obiectū peccati mortalis: sicut velle quotidie dicere vnum leue mendacium, ideo non est peccatum mortale: quia illæ inter se non vniuntur. In proposito autem hæc leues necessitates non componunt vnam grauem, quia ex eis nullum graue nocumentum alicui proximo sequitur, non ergo est sufficiens ratio peccati mortalis: & ideo non videtur simile illud de furto, quia ibi singulæ materiæ leues componunt vnam grauem, & illa simpliciter est acceptio iniusta, per accidens vero est, quod sit acceptio ab vno tantum, vel à multis. Sed contra. Nam tota hæc doctrina demonstratur, quod intendimus: licet enim hæc leues necessitates non faciant vnam grauem respectu vnius, faciunt tamen respectu totius reipub. & communitatis: misericordia autem magis inclinatur ad bonum commune, quam ad particulare. Secundo id explicatur in vno, & eodē proximo: nam si videret diues aliquis proximum quotidie pati necessitatem, quæ in quolibet vno die considerata non esset grauis, illam eodē die contemnere, non esset mortale, tamē si toto anno contemnat, sine dubio censenda est materia grauis, & peccatum graue, quādo illud apprehenditur totum per modum vnius obiecti, quia grauitas ne-

Impugnatur primo.

Impugnatur secundo.

cessitatis non solum pensanda est, quasi ex intensione, sed etiam veluti ex extensione, & perpetua quadam duratione; & tamen illud obiectum solum compositum est ex multis leuib; necessitatibus: ergo similiter graue erit, si plures leues necessitates veluti distributæ per multos considerentur. Tandem, qui sic se gerit, aliquo modo se exponit periculo omitterendi etiam eleemosynam in grauib; necessitatibus, tum propter prauam consuetudinem, tum quia non est facile, leuem à graui necessitate distinguere.

9. Sed quæres, an hoc sit ita certum, ut contrarium non sit practice probabile, & securum? Non audeo quidem simpliciter dicere aliam opinionem esse improbabilem, quia habet auctores graues, & aliquas rationes non contemnendas, attamen mihi videtur non admodum secuta, & probabilis. Sed ut aliquo modo mitigemus hunc rigorem, avertendum est: ad iudicandum aliquem habere superflua, multa esse consideranda. Item aliqua posse iudicari superflua in ordinem ad grauem necessitatem, quæ moraliter non censentur talia in ordine ad communem, quia sicut diuersa est necessitas, ita & obligatio, & facultas. Primo ergo omnium considerandum est status diuitis, & integra eius decencia. Secundo considerandi sunt euentus, & necessitates, quæ moraliter accidere possunt, ac solent homini in tali statu constituto, & personis omnibus, quibus ex officio providere tenetur. Tertio si habeat filios, & familiam, considerandum est, posse & debere filijs chaurizare, & constituere eos in statu, & interdum etiam alias domesticas personas. Deniq; hæc decencia status non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem moralem, quamuis tandem signari possit terminus secundum moralem prudentiam. His omnibus consideratis, bona vitra illum terminum censenda sunt superflua in ordine ad grauem necessitatem. In ordine vero ad communem considerandum est vterius. An possit homo ad aliquem superiorem gradum in republ. aspirare, ita ut vere sit idoneus ad illum, & prudenter possit ad id contendere. Nam si tunc ita statuatur non dicitur superflua, quæ ad hunc transitum seruat, ut bene Caiet. & Nauarr. obseruant: nam hoc est tali candidato conueniens, & quodammodo in republ. necessarium, & per se etiam ad commune bonum confert: quod semper intelligitur nisi in actu occurrant graues necessitates. Et similibus comatibus annumerantur pia opera, ut est edificatio templi, scholasticorum collegium, &c. Nam hæc etiam sunt necessaria Reipublicæ, & pertinent suo modo ad statum, & ad pietatem etiam Christianam.

10. Dico quarto. Qui habet superflua simpliciter, & propositum habet faciendi eleemosynam, & sæpe facit, quamuis sæpe omitat, & nonnulla etiam in vanos usus expendat, dummodo graues necessitates non prætermittat, non peccat mortaliter. Hanc conclusionem non negant Authores primæ sententiæ, & videtur procedere ex quadam humana æquitate: & quidem non est asserendum peccatum mortale, ubi sufficiens ratio non conuincitur. Deinde hoc præceptum est affirmans, & usus eius pendet ex prudētia, & quando non occurrit grauis necessitas, omnes fatentur, communes necessitates per se singulas non obligare ad mortale: non ergo tenetur huiusmodi diues dare huius, vel illi determinare. Ergo si bona fide procedat, & eleemosynam faciat statui consentaneam, licet alias in multis deficiat, non erit censendus peccare mortaliter. Accedit quod, si omnes diuites ita se gererent, moraliter reipubl. & pauperibus sufficiens er subueniretur: ergo ille qui sic operatur, quod in se est, sufficiens subuenit necessitati reipubl. & ad hoc valent argumenta tertiæ sententiæ, quæ tamen contra tertiam conclusionem non vrgent, iam enim exposuimus, quomodo materia huius

Sitne contraria opinio probabilis.

Quænam censenda sit bona superflua stante graui aliorum necessitate.

Quænam stant sola communi, seu ordinaria.

Caiet. a. 4. q. 1. ar. 5. ad 2. & q. 1. ar. 4. ad 2. in 2. m. 2. q. 1. ar. 74.

4. Conclusio.

Susdet multipliciter.

Argumenta posita. 1. pro hac conclusione valent, nec inueniuntur a contrariis.

huius peccati sit gravis; item quando, & quomodo liceat diuitias seruare ad ascendendum ad gradum dignitatis, vel muneris in republ. & ad alia opera pia exequenda. Denique iam damus locum alicui prodigalitati veniali, quia hæc superflua habent latitudinem, intra quam sæpe committitur prodigalitas venialis, præterea non obligamus in rigore ad dandum omnia superflua, saltem sub mortali.

SECTIO IV.

Vtrum teneamur aliquando facere eleemosynam ex necessarijs ad statum, non tamen ad vitam.

**P**rima, & tertiz sententia Authores citati in præcedenti sectione. videntur omnino negare, quia requirunt illas duas condiciones, vt hoc præceptum obliget, scilicet habere superflua simpliciter, & vt sit necessitas extrema, vel grauis; quibus non nihil fauet D. Thom. secunda secundæ; quæstione 32. articulo sexto; tamen alij Authores communiter contrarium tenent licet non omnes inter se consentiant.

**2.** Dico primo. Si commune bonum, seu reipublica sitin graui necessitate totius boni communis, teneatur priuata persona illi subuenire etiam ex necessarijs ad statum. Conclusio est communiter ab omnibus recepta. Ratio autem est, quia, exteris paribus, commune bonum est præferendum proprio in temporalibus. Item ostendimus infra, debere hominem perdere vitam, si necesse sit pro tuenda vita reipublicæ; ergo à pari tenetur subire grauem necessitatem, vt subueniat graui necessitati reipublicæ. Denique huiusmodi grauis necessitas reipublicæ raro erit sine extrema necessitate multorum particularium, ostendimus autem debere hominem ex his bonis subuenire extremæ necessitati alterius; ergo, &c. Vbi aduertendum est grauem necessitatem non dici illam, quæ quasi per accidens resultat in reipublica ex multis necessitatibus communibus, vt dicebamus sectione præcedenti numero octauo, sed grauem dici, quæ perse exponit totam reipublicam, vel commune bonum eius, graui periculo.

**3.** Dico secundo. Si proximus quilibet sit in extrema necessitate, tenetur quilibet homo subuenire illi, etiam ex necessarijs ad statum. Probatur primo, quia in ordine charitatis tenetur homo magis diligere vitam proximi, quàm statum suum. Item qui extrinsecus indiget, habet ius naturale vtendi bonis alterius etiam necessarijs illi ad statum, & potest illa accipere, neq; alter potest prohibere sine iniuria: ergo tenebitur ipse etiam dare illi, & seruare alteri illud ius, præcipue habita ratione charitatis.

**4.** Sed contra inferes. Ergo si aliquis minetur interfectum seipsum, nisi dem centum aureos, tenebor dare, vt vitam eius tuear. Secundo sequitur tenebor dimittere dare magnam pecunie vim, etiam necessariam ad statum, alicui, V.g. ne occidat inimicum, quem habet subiectum, quod videtur onerosum.

Tertio si esset infirmus morti proximus, nec posset sanari, nisi exquisita medicina magni valoris, tenebatur dives ex necessarijs ad statum illi providere, & similia. Ad primum communis responsio est, illud non esse in extrema necessitate, sed in extrema malitia. Ad do tamen, quod dixi in prima sect. num. 7. Si forte id oriretur ex magna passione, & quantitas non esset magna, atque adeo posset aliquis sine graui detrimento id facere, interdum teneri, tamen moraliter, & communiter loquendo raro occurrit hæc obligatio. Ad secundum Victoria refectione de homicidio, Nauarr. & alij dicunt conclusionem esse intelligendam de necessitate, quæ prouenit quasi ex ordine naturali, non vero ex illa, quæ prouenit ex malitia hominum. Nam hæc potest occurrere infinitis modis, & sæpe iniquissimis, vnde si illa esset at-

tendenda, esset intolerabile onus, & perturbatio contra rem publicam. Sed reuera licet hæc differentia non videatur negligenda, non tamen omnino satisfaciunt; nam causa, propter quam charitas, & misericordia obligant, non est causa vnde oritur necessitas, sed est ipsa necessitas; ergo si hæc verè adest & aliunde est etiam sufficiens facultas, erit etiam obligatio, vnde cumq; orta sit necessitas. Quare crediderim si pretium pro tali vita necessarium, esset moderatum, & non nimis necessarium habenti, posse interdum teneri ad illud dandum. Vnde aduertendum est hæc temporalia bona quauis sint inferioris ordinis, esse tamen instrumenta humanæ vitæ, & humanarum actionum, & interdum posse magnam quantitatem diuitiarum præferri vitæ alicuius vulgaris hominis, quia etiam sunt necessaria communi bono, & conseruare etiam proprium statum, est moraliter valde necessarium, & ideo non est obligandus facile homo, vt cadat à statu: attamen, vt eo retento aliquam in eo patiatu necessitatem, obligari potest. Et hoc modo limitanda est conclusio, præsertim in his necessitatibus, quæ non à natura, sed ex hominū libertate pendent, & eodem modo respondendum est ad tertium, quauis non displiceat, quod Victoria supra, & Soto 4. de iustitia quæst. 7. artic. 1. ad 4. tradunt.

**5.** Dico tertio. Interdum potest quis obligari, vt subueniat proximo ex bonis aliquo modo necessarijs ad statum proximo existenti non in extrema, sed in grauisima quadam necessitate. Hæc suadet ex Scriptura, & Patribus sectione præcedente, num. 2. indicatis. Præterea Augustin. in 1. epist. Ioan. tractat. 5. A creditore angustiatu frater tuus, vide si miseris. si habes mundi facultates, forte dicis, daturus sum pecuniam meam ne ille angustiam patiatu? si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non est in te, &c. Ratione etiam probatur; nam fieri potest, vt quauis proximus non sit in extrema necessitate vitæ, sit tamen in extremo periculo grauis infamiz, vel similis iniuriæ, & illa est necessitas grauisima: ergo, qui potest non magna iactura diuitiarum impedire illud malum, tenetur, quauis bona illa non sint superflua omnino statui. Ratio enim charitatis postulat, vt præferat tantum bonum proximi meo incommodo non magno. Similis est casus carceris, vel captiuitatis perpetuæ, bona enim his malis contraria sunt altioris ordinis, quàm diuitiæ. Ad do præterea circa bona externa accidere posse, vt proximus, in omnibus, & maximis fortunis suis detrimentu patiatu, si hic, & nunc non subueniam de meis, sine graui iactura proprii status; tunc ergo etiam ratio charitatis postulat, vt illi dicto modo subueniam; patent consequentiz, quia moraliter loquendo tunc possum, & tempus est maximæ necessitatis: ergo tunc obligat præceptum affirmatiuum. Quod etiam credibile est fieri, aduertendo, licet obligatio misericordiz oriatur ab ipsa natura, tamen ex conuictione charitatis maiorem, & altiozem fieri: nam charitas naturam perficit: vnderationabile est, vt ad maiora signa, & effectus beneuolentiz inclinet, & obliget. Quapropter Doctores sancti obligationem hanc magis in charitate, quàm in natura fundant. Accedit, quia non dicimus teneri aliquem ad subueniendum proximo, exponendo se æquali necessitati, imo neq; subeundo grauem simpliciter, sed solum cum sine magna incommoditate potest, licet non sit de rebus omnino superfluis, quod etiam magis constabit, ex sequenti sectione.

**6.** Sed superest difficultas, quia D. Thomas in omnibus videtur nobis aduersari, articulo enim 6. quæstionis 32. ait esse laudabile de necessarijs ad vitam subuenire publico bono, & idem dicit statim de eleemosyna facta ex necessarijs ad statum, vnde indicat illud esse consilij, nō præcepti: & postea subdit esse inordinatum tor dare eleemosynas, vt non possit

Nō omnino satisfaciunt.

Eius ratio;

Confirmatur primo.

Difficultas quædam ex doctrina D. Thomæ.

aliter sentit.

Conclusio.

Probat.

Hoc tenet communiter.

Conclusio.

Probat.

Concl.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.

Probat.

Concl.